



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput X. Pensionis notio, causae, & conditiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

IX. Pensionis notio, causæ, & conditiones. 563

dividit? Tandem Innocentius II. sic ait: *Indignum est conductitiis Presbyteris Ecclesiam committi (c. quia nonnulli, de Clericis non resid.).* Huic malo Tridentina Synodus providit, sapienter jubens Parochos esse perpetuos, non amovibiles. At Priores hac regula abusi sunt, ut suam expleant avaritiam, perpetuos Vicarios instituentes, quibus tam modicos relinquunt redditus, ut vix vitam sustentare queant: qui vero nihil pro Beneficio laborant, reliquis gaudent redditibus.

CAPUT X.

Pensionis notio, causæ, & conditiones.

Pensio communiter describitur, quod sit jus aliquos ex Beneficio alieno percipiendi fructus vel ratione muneris, vel ratione concessionis specialiter factæ. Hinc duplex distingui pensio potest. Una *laicalis*, quæ sive laicis, sive Clericis propter aliquod officium aut servitium temporale exempli gratia œconomix, custodiæ, defensionis Ecclesiæ &c. conceditur: altera *clericalis*, quæ Clericis propter aliquod ministerium spirituale, exempli gratia Coadjutorix, Catechismi &c. assignatur. Huic & alia, quæ Parocho ob senectutem inhabili, aut resignanti, aut commutanti obvenit, addi potest.

Pensiones sine Pontificis auctoritate nec creare, nec exigere licet (a), hicque justis solum  
ex

(a) Tres tamen casus excipiuntur. *Primus* est cum Beneficiato ob ægritudinem vel censuram ecclesiasticam

ex causis eas concedit. *Primo* reservari pen-  
 sio potest, quando duo de Beneficio litigantes inter  
 se conveniunt, ut alter Beneficium relinquat  
 alter pensionem solvat (*cap. de cætero. de Trans-*  
*actiõn.*); verum sicuti diximus, oportet, ut  
 ambo ad illud æquale jus habeant (*cap. An-*  
*vimus. de Præbend.*); nam qui mala fide litige-  
 ret, pensionem sibi reservare non possit. *Sec-*  
*cundo* quando quis pinguius Beneficium cum re-  
 nui permutat, inæqualitas pensione compensari  
 potest (*Cap. Ad Quæstiones. de Rerum permuta-*  
*tat.*). Verum raræ sunt istæ permutationes,  
 & cum fiunt, plerumque ex causis non eccle-  
 sticis fiunt. Si Beneficiarius incapax sit retine-  
 di pinguius Beneficium resignare illud debet,  
 aliud petere, cui magis idoneus non sit.

fiasticam de vicario providendum est, qui vicem  
 ejus suppleat, ad cujus sustentationem congruam  
 portionem detrahere Episcopus potest (*Trident.*  
*Sess. 21. de Reformat. cap. 6.*). *Secundus* casus  
 est Seminarii fundatio: ad quam si necessarii  
 aliunde sumptus non suppetant, Episcopus ex  
 Beneficiis suæ diocesis, suæque collationis ce-  
 tas contributiones, ac pensiones annuas delibe-  
 re ac reservare potest ad pium istud opus ut  
 sancitum est in Tridentino (*Sess. 23. de Reform.*  
*cap. 18.*). *Tertius* casus est bonum pacis inter  
 Clericos, de eodem Beneficio contendentes, fir-  
 mandæ, cum nempe jus illorum obscurum est.  
 Si enim coram Episcopo litigent, potest hic  
 tamquam iudex & arbiter Beneficium uni, pen-  
 sionem alteri adjudicare, (*cap. De cætero. de*  
*Transact.*). Ita Natalis Alexander Theol. Dog-  
 mor. lib. 2. Append. ad Tract. de Ord. cap. 6.  
 Reg. 16.

servare hic insuper oportet, non licere majorem pensionem exigere ratione dignitatis, quæ Beneficio est adnexa, sed tantum ratione majoris redditus. Tertio quando unus alteri resignat. Hocque maxime verum est, si Beneficiatus Beneficio impos vel propter ætatem, vel propter ægritudinem illud dimittere cogeretur, nec sine pensione vivere aliunde posset. Habetur exemplum in Episcopo Ephesino, cui Concilii Chalcedonensis Patres ducentorum aureorum numerum pensionem reservarunt super Episcopatu, quem propter senectutem suam dimisit (Act. 10. 12. & 14.). Quarto ut Clericis indigentibus subveniatur, pensio creari potest; æquum enim est, ut Beneficiatorum divitum abundantia pauperum Clericorum inopiam sublevet, ut fiat æqualitas (2. Cor. 8.). Quinto pensio destinari pro illo potest, qui ingens Ecclesiæ spirituale, vel tempore commodum contulit, aut confert; veluti si quis pro Ecclesia pugnans vulneratus fuisset, aut utiliter grave aliquod Ecclesiæ negotium gessisset.

Conditiones, quas pensiones canonicæ habere debent, istæ præprimis sunt notandæ. 1. Pensio canonica tertiam reddituum partem non superet. Conditio hæc in provisionibus passim exprimitur. Secus in Italia usuvenit, ubi tam magnæ quibusdam Episcopatibus pensiones imponuntur, ut nihil prope reliquum sit titulari Episcopo pro victu, & pro sua dignitate tuenda. Cardinalis Bellarminus, qui hanc veritatem probe norat, integras super plures Episcopatus

pensiones remisit; cum intelligeret, eas ab Episcopis solvi non posse. Ast pauci Cardinales Bellarminum imitantur. 2. Pensiones pensionibus immodice addere non licet; quia aliter idem absurdum sequeretur. 3. Rationabilem accipientis indigentiam pensiones non excedant oportet. Dixi *rationabilem*; nam si hæc luxuria hujusque sæculi vanitate metiatur, nulli erunt licentiæ limites, & quædam hoc pacto Beneficiorum pluralitas fiet.

Quemadmodum auctoritate Papæ pensio creari potest, & debet, ita eadem est auctoritate extinguenda. Verum ante creationem extinctionem stipulari non licet, multoque minus pecuniam deponere, de qua ante resignationem facta est conventio. Hoc vere est Beneficium, seu pensionem emere, & simoniam committere. Hæc tamen consuetudo nuper in Ecclesiam est inuenta, qui abusus ab iis solum defendi potest, qui se ipsos fallere non dubitant (a).

Dantur tamen casus, in quibus citra Papæ interventum immediatum Pensiones expirant.

(a) Quamvis olim habens pensionem clericalem ad nullas preces teneretur; nunc Jure novo ex Bulla Pii V. saltem ubi est recepta, quotidie ad officium Marianum tenetur: quod si omittat, fructus non facit suos, & obligatur ad restitutionem non secus, ac Beneficiatus, qui Breviarium omittit, ut ibidem statuitur. Billuati Tract. de Relig. Dissert. II. art. 6. Sect. I. ad fin.

X.

*Pensionis notio, causa, & conditiones. 567*

1. Pensionarii morte. 2. Ejusdem matrimonio, vel professione religiosa. 3. Libera renunciatione. 4. Acceptata redemptione, quibus addi potest; indigentiae cessatio, dum nempe pensionarius acceptis aliunde proventibus, congruam sustentationem absque pensionis accessione habet.



N n 4

TRA-